

DE INSIGNI  
SANIORIS PHILOSOPHIAE VSV  
QVO SE IN DVABVS PRAECIPVIS TVRPISSIMAE  
VITAE CAVSIS REMOVENDIS  
COMMENDAT

STRICTIM BREVITERQVE DISSERIT

ATQVE

VIRIS NOBILISSIMIS NEC NON DOCTISSIMIS

GODOFR. CHRISTOPH. BEKIO  
GERINGSWALDENSI

ET

GEORG. FRIDER. STRANZIO  
SCHLAIZA-VARISCO

CULTORIBVS THEOLOGIAE INDEFESSIS

SVM MOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
DVDVM MERITOS

ATQVE

IN ACADEMIA QVAE VITEMBERGAE FLORET  
CELEBERRIMA

DIE XXX. APRILIS A. O. R. clō Iccc XXXVII.

SOLEMNI RITV CONSECVTOS

SINCERO ANIMO GRATVLATVR

M. IOAN. ABRAH. SIEGERT

---

L I P S I A E

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII

77.

a. C'XIII. 49.

coll. diss. A  
13, 49

DE INSIGNI

SANTONIS THEOLOGICALIS

QVO SE IN DIVERSA PRAECIPIUNT

ATQUE CAUSIS REVOCAVIS

COMPARAT

STRICTIM REVISITUM ET DISSECTUM

ALON

ATQUE NOBILISSIMIS FUGI NON DOCTISSIMIS

GODOPH. CHRISTOPH. BERLIO

GERING WILHELM

GEORG. FRIDER. STRANZIO

AD H. A. V. L. J. A. N. S. I. A. N. S.

CL. TOR. S. I. O. G. A. N. D. I. A. N. S.

SYMOS IN I. O. S. O. P. H. I. A. H. O. N. O. R. E. S.

D. D. M. M. R. I. T. O. S.

ALON

IN ACADEMIA S. I. O. G. A. N. D. I. A. N. S.

CL. TOR. S. I. O. G. A. N. D. I. A. N. S.

DE J. C. A. N. D. I. A. N. S. I. O. S. I. O. S. I. A. N. S.

S. O. L. I. M. I. T. I. A. C. O. N. S. E. Q. U. I. T.

S. E. C. R. E. T. O. R. U. M. S. I. M. O. N. I. A. N. S.

M. I. O. H. A. N. N. E. S. S. I. G. E. R. I. C. I.

FR. S. I. A. N. S.

FR. S. I. A. N. S. I. O. S. I. O. S. I. A. N. S.





§. I.

**M**iserrima generis humani foret conditio, si vel *rationis*, vel *reuelationis* lumine destitueretur. Ratio, sibi relicta, nec clarissima reuelationis luce collustrata, veram beatitatem mediaque, ad eam ducentia, ignorat: reuelatio contra, sine rationis existentia, nihil vtilitatis haberet, Deusque finem, per eam intentum, nullo modo obtineret. Cuilibet exinde et rationis et reuelationis *necessitatem*, *nexum* ac *mutuam* inter vtramque *relationem* colligere licebit, si rem omnem recta secum via reputare velit a). Haec

A 2

ponde-

- a) Non male Cel. SYRBIVS in dedicatione, philosophiae primae, praefixa scribit: *Summam esse diuinae reuelationis, et Christianae religionis adeo cum recta ratione conuenientiam.* Hac in parte etiam lectione digna sunt, quae Illustr. LEIBNITIVS et Cel. CANZIVS in chartam coniecerunt; ille in discursu de harmonia fidei cum ratione, Theodicaeae praemisso; hic in discursu praeliminari vsus philos. LEIBNIT. et WOLFE. in Theologia. Neque hac sententia *reuelationis dignitati* quicquam *detrahitur*: ipsi omnino *primae partes, summa maiestas*  
omnes-

ponderantes summam Dei bonitatem pariter atque sapientiam mente deuotissima veneramus, quod rationi, qua cuiuslibet animam instructam cernimus, reuelationem, varios illius, post factam naturae corruptionem, defectus supplementem, iunxerit comitem. Cum igitur non solum reuelatio, verum etiam ratio *Deum* profiteantur *auctorem; scientiae*, genuinis vtriusque placitis innixae, non possunt non esse *utilissimae*: hic enim *canon* ille, quem alioquin *Aristotelici*, citra limitationem, ceu axioma obtrudere solent b), locum habet: *qualis causa, talis quoque effectus*; iam vero Deus est omnium ens utilissimum, ergo omne id, quod ab eo proficiscitur, fructus, haud contemnendos, fundet. Rerum diuinarum, homini ad salutem scitu credituque necessariorum scientia, vel doctrina, e sacris literis haupta, *Theologia* appellatur c); scientia vero, sola ratione cognita, qua id, quod homini, in quocunque statu spectato, ad felicitatem suam

promo-

*omnesque praerogatiuae* debentur. Conf. Cl. CHRISTOPH. WOLLII Examen Regular. Hermeneut. Calmeti §. 4. p. II.

b) Vid. Cel. HOLLMANNI philosophia prima §. CCCXX. p. 903. edit. nou.

c) Tantum haec definitio complectitur, quantum requiritur, ut theologia a philosophia aliisque scientiis omni tempore omni-que occasione *distingui* queat. Opus enim non est, ut omnia, quae de definito dici possunt, in definitione compacta exhibeantur. Ceterum *scientiae*, vel *doctrinae* *vocabulum* generis loco, sensu laxiori, positum rem accurate exprimit, atque in ipsis tum V. tum N. F. oraculis fundatur. In V. T. occurrit תורה quae vox *doctrinam* notat, vel, ut scite monet Cel. 10. SIMONIS in Arcano Form. Nom. Hebr. Ling. p. 539. *ui Formae erit institutio, vel instructio continua et quasi aeterna.* conf. Ies. II, 3. LL, 4. In N. T. offendimus vocem διδασκαλία, quo genere optimus utitur Saluator Io. VII, 16. et Paulo theologia dicitur

citur

promouendam, vel sciendum, vel agendum est, distincte traditur d), *philosophiae* nomine venit. Hae scientiae ita sunt comparatae, ut vna alteri vsui sit, utque theologus ex philosophia, et philosophus ex theologia fructum capere possit, quemadmodum Viri, eruditionis laude illustres, nostra in primis aetate, demonstrarunt. In praesenti scriptione ad eum speciatim vsum, quem nobis a saniori philosophia in duabus praecipuis vitae dissolutae causis remouendis promittere possumus, animum aduertam, illumque pro virili sumam illustrandum. In tria autem omnes cogitationes erunt abiiciendae, et I. quidem in duas vitae dissolutae causas praecipuas. II. in saniores philosophiam, fontes hosce venenatos, obstruentem, ac denique III. in ipsum illius vsum, circa dictas impietatis causas, e medio tollendas, conspicuum.

## §. II.

Complures dantur impietatis causae e), ad quas si mentis aciem conuertamus, oculis duae in primis subiicientur, quae *corruptam Christianorum vitam* maxime promouent. Inter has certae atque *viuae cognitionis Dei Optimi Maximi, quod nimirum sit, et quid sit, defectui* primum adsignamus locum. Omnibus vires, Deum plena persuasione co-

A 3

gnoscentur

*ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας* Tit. I, 2. vid. B. BVDDEI Theol. Dogmat. L. I. C. 1. §. 37. et 38. add. MARCI FRID. WENDELINI Theol. Christiana p. 2.

d) Est haec Cel. HOLLM. definitio in proleg. de philos. in genere §. 19. data.

e) leg. JEAN FRIDERIC OSTERWALD dans les sources de la corruption passim. Loquimur autem hic non de prima omnis impietatis causa, quae in theologorum scriptis *labes originalis* nominatur; sed de reliquis, tam tristis effectus causis, e prima illa quasi ortis.

*gnoscenti*, perbenigne concessae sunt; sed perpauci iisdem vtuntur, eoque studia sua conuertunt, vt de *diuina* aequae ac de *propria* certi fiant *existentia*. Ab incunabulis mortales vocem *Deus* auribus percipiunt, eamque felicissime pronuntiare discunt: quod si vero in immensam animorum abyssum ac sinuosos cordis anfractus penetrare, atque sincera animi sensa rimari possemus, noxium cognitionis Dei certae defectum frequentissime animaduertemus. Atque facile a me possum impetrare, vt credam, non paucos sine intima persuasione clamare: *nos credimus in Deum etc.* Fac, alios credere, dari ens perfectissimum, caue tamen, ne statim credas, eos semper *ideas completas* voci *Θεὸς* aptare. Nonne multi reperiuntur, qui, *omissa iustitia*, nil, nisi *miserericordiam*, in Deo obseruant, et *patres*, quos vocant, *miserericordiae* secuti, vel ipsis malis geniis, in aeternos carceres detrusis, spem felicitatis aeternae faciunt. Dantur etiam nonnulli, qui sibi blandiuntur, se Numinis Supremi existentiam credere, nunquam tamen illam experti sunt *perceptionem*, quam illos, qui de re aliqua vere conuicti sunt, habere oportet f). Quoniam itaque certa atque viua de entis infiniti existentia conuictio inter ipsos homines, qui Christo nomina sua dederunt, desideratur, mirari desino, vnde perditissimi profligatissimique mores oriantur. Homo per naturam ad quodlibet fere vitium perpetrandum promptus est atque paratus, huic corruptioni naturali si accesserit ignoratio Dei, a vita nefanda eiusmodi homo difficulter poterit deterreri, sed in omnia scelera, sensibus grata, praecipiti cursu ruet g), nisi proprium commodum eum retrahat, ne in manifestam  
vitalae

f) v. HOLLM. pneumatol. §. CXL.

g) Conf. Sap. II, 1. sqq. et HOLLM. l. c. §. 138.

vitae impietatem prolabatur h). *Arctissimus* igitur inter *ignorationem Dei et vitam corruptam* datur *nexus*, qualis videlicet est inter *causam* atque *effectum*. Etenim cognitio vel plane nulla, vel cum oppositi formidine coniuncta, *legi diuinae obtemperandi, moresque et mentem emendandi*, non potest suppeditare *motiua* atque *incitamenta* i), sed vitam turpissimam gignit, fouet, conseruat. Verba sunt notatu dignissima, quae diuus PAVLVS ad eos, qui in Corinthiaco coetu sanctissimam REDEMPTORIS disciplinam vita scelestam infamabant, perscripsit k): Ἐκνήψατε, inquit, δικαίως, καὶ μὴ ἈΜΑΡΤΑΝΕΤΕ ἈΓΝΩΣΙΑΝ γὰρ ΘΕΟΥ τινες ἔχουσι. Hic Apostolus peccatum et ignorantiam Dei, vt causam et effectum coniungit manifesto indicio, certae atque viuae Dei notitiae defectum vnam ex praecipuis vitae turpissimae esse causam.

## §. III.

Hanc excipit altera non minoris momenti vitae peruersae causa, consistens in *certae atque viuae de Scripturae sacrae diuinitate conuictionis defectu*. Hoc morbo multos, qui Christum ore confitentur, laborare vel a posteriori, quod aiunt, cognoscimus. Non pauci enim dubiis sacras literas vellicare, throno suo deturbare, et infra Pontificis Romani auctoritatem detrudere, turpissimo conatu annifi sunt, et adhuc annituntur. Et quam multi tum honoratoris, tum infimae fortis, homines sermonibus suis produnt, quam abiecte de Codicis S. origine, dignitate atque aucto-

h) v. HOLL. l. c. §. 141.

i) De cognitione certa atque viua leg. Cel. WOLFFII *Gedancken von der Menschen Thun und Lassen*. §. 169. et Cel. CANZIUS l. c. p. 37.

k) 1. Cor. XV, 34. add. Eph. II, 12. IV, 17. 18. 19.

auctoritate sentiant? nec raro eo audaciae procedunt, ut quaerere non erubescant: quis nobis inuictis demonstrare valet argumentis, Scripturam, quam sacram vocant, a Deo inspiratam esse, omniaque ipsius contenta veritati respondere? Iam facili negotio perspicere licet, qui fiat, ut sermones sacri, hominum vitia perstringentes, atque motiua virtutes sectandi ex Codice S. petita, nullum in plurimorum auditorum animis stimulum relinquunt. Diuinam scripturae auctoritatem in dubium vocantes eam pro regula perfectissima, secundum quam actiones suas instituere debeant, agnoscere recusant, hinc *legem in membris suis* sequuntur l), *verboque diuino*, multa carni pergrata prohibenti, ac vitam, maiori accuratatione gerendam, postulanti *irascuntur* m). Quotquot ergo reuelationem diuinam negant, aut de eius existentia constanter dubitant, illi, durantibus peruersis istis repraesentationibus, verae pietati nequeunt studere; atque adeo pertinax diuinitatis scripturae negatio non immerito pro causa, a qua impietas deducenda est, habetur.

## §. IIII.

Duplici morum corruptorum fonte indicato, *Philosophiam*, huic malo obuiam processuro *nonnihil utilitatis adferentem*, paucis contemplantur. Notio, cum philosophiae vocabulo coniungenda n), iam supra (§. I) indicata fuit;

l) Rom. VII, 23.

m) Ita *lex iram operatur* (Rom. IV, 15.), non tantum iram diuinam indicando, verum etiam homines, propensionibus suis sensualibus litantes, quasi exacerbando et ad iram prouocando. vid. Reuer. IO. GVST. REINBECK Tom. III. meditat. in A. C. p. 436.

n) Plura huc spectantia exhibent 3. Dissert. a Cel. HORRIGER philof. not. Vitemb. habitae.



fuit; quae ergo dicenda restant, breuibus aliquot obseruationibus includentur. Cum nostris temporibus *tot systemata philosophica* lucem adspexerint publicam, ac vnumquodque eorum suos sectatores, pro illo, ceu pro aris et focis, magna saepe acerbitate, magnaue animorum contentione pugnantes, nanciscatur: o) omni opus est *cautione*, ne nubem pro Iunone amplexi egregie *fallamur*. In *scriptis humanis*, quorsum *philosophica* quoque pertinent, non tam ad *eos*, qui scripserunt, quam ad *id*, quod scripserunt, animum attendere decet; siquidem huius, vel illius *Viri*, in summo honoris fastigio constituti, *auctoritate* nulla rebus veritas comparari potest, nisi in se verae sint: quemadmodum veritas nihil detrimenti capit, licet ab iis, quibus fortuna non ita fauet, vt a plurimis in oculis ferantur, proponatur. *Prudentis est, omnia*, a quocunque demum dicta fuerint, *probare, optima vero retinere*. Quapropter, si quaesieris, quaenam philosophia insignem in repellendis impiae vitae causis vsum praestet? religioni mihi duco, tibi terminatione in ANA molestiam creare, aut prorsus bilem mouere; sed rogo, velis philosophiam non tam *concretiue*, quam *abstractiue* (liceat mihi cum scholis loqui) mecum considerare. p) Talem adeo scientiam philosophicam intelligo,

- o) Dictis fidem conciliabunt controuersiae Wolffianae, recentissime iterum ortae, et a quibusdam magna vehementia agitatae, vt et in relationibus publicis fortis atque strenuus nonnunquam surgat defensor, qui dictatoria voce aliter sentientibus dicam scribit: *Es bleibt trotz allem verwegenen Widerspruch! eine ewige Wahrheit: dis ist die beste Welt, und Gott hat nichts ohne zureichenden Grund gemacht*. Quis non toto corpore contremiscat, tantoque heroi pollicem premat?
- p) h. e. volo, vt Virorum, qui rationis scita impari successu in formam systematis redegerunt, memoria tantisper seponatur, et philosophia, prout in se est, aut vt esse debebat, ante oculos ponatur:

B

natur:

quae vera est, sanae rationis principiis innititur, neque reuelationi repugnat, quae magis soliditate, quam ingenio probatur, atque egregia utilitate se commendat. Illa enim philosophia, quae sublimius cognoscendi principium, reuelationem diuinam, euertit, terminis omni conceptu vacuis ludit, quaestionibus spinosis et homine indignis delectatur, conceptuum distinctorum ac adaequatorum loco menti caliginem offundit, atque vt calx sine arena cohaeret, impietatem non modo non infirmat, sed etiam auget. Quod si igitur explicatis morum perditorum causis feliciter obuiam ire velimus, ea instructi simus philosophia necesse est, quae rectum rationis vsum docet, et intellectus pariter atque voluntatis emendationem intendit. q)

## §. V.

Iam nemo erit adeo emotae mentis, vt nullas philosophiae opportunitates in nominatis vitae malae causis destruendis agnoscere velit. Dispiciamus igitur, quid hac in parte philosophia eximii praestet? Quod ad primam impietatis causam, supra (§. II.) explicatam, attinet, vsum suum in eo

natur: atque hac ratione philosophia abstracte considerata et non ens minime gentium erunt voces ἰσοδύναμοι.

- q) Sed cum ad summam ἀκρίβειαν peruenire nequeamus, oportet nos modica intelligentia contentos esse: haec verba IO. CLERICI, quae in Arte Crit. P. II. Sect. I. Cap. 2. reg. 1. §. 2. p. III. edit. Lips. de imperfecta linguarum notitia effatus est, imperfectam quoque philosophiae notitiam explicare possunt: nondum enim philosophiam, omnibus numeris absolutam, et nullis accessionibus augendam possidemus, neque summa perfectio hic vnquam a miseris mortalibus poterit obtineri. Interim aequitas postulat, vt scriptis Virorum erectioris indolis et egregio iudicii acumine praeditorum simus contenti, eaque sine praeiudicatis opinionibus legamus, ad lydium lapidem examinemus, perfectiora imperfectioribus praeferamus, atque in vsus nostros conuertamus.

in eo potissimum exerit, quod *argumenta*, pro *Dei existentia* adducta rite *examinet*, et sicubi *minus firma* occurrant, *solidiora* substituere summa ope nitatur. Philosophia *solida soliditatem* sectatur. *Oratorum lenociniis*, quae ad *tempus vim persuadendi* atque *affectus commouendi* habent, non est contenta, sed *argumentis*, inuicto *robore firmatis*, ad *assensum*, veritatibus praebendum, veluti *rapit, cogit*. *Ratiocinationibus* suis talem *certitudinem* in animis producere allaborat, quae *tentationis tempore* non penitus *euanescat*, et inter *tela*, a *contradicientibus* aduersus eam vibrata, *firma stet* atque *inconcussa*. Atque hunc morem, nunquam satis laudandum, toties, quoties fieri potest, obseruat. Philosophia non tantum quoad *actum signatum* bonam arguendi concludendique rationem docet, sed eandem etiam quoad *actum exercitum* quauis data occasione illustrat: nobilissima proinde philosophiae pars, *theologia naturalis*, tota in eo est, vt *existentiam Dei* extra omnem dubitationis aleam ponat. Quando autem contra nonnulla *argumenta*, pro *existentia Dei* allegata, omni, qua decet, modestia, vnum alterumue monet; *thesin ipsam*, religiosissimo cultu venerandam, *negare* censenda non est, multo minus nominibus, parum profecto a conuicio remotis, dehonestanda. Quibusdam enim arguendi rationibus *circulus* inest vitiosus, id quod de argumento, a *finibus rerum* desumpto, asserendum esse videtur: alia in *suo genere* usum habent ad *probanda Dei attributa*, postquam *existentia Dei* iam demonstrata est, quibus a nonnullis philosophis huius *uniuersi consideratio* annumeratur: alia denique *vim suam probandi ab aliis* accipiunt atque ex iis fluunt, vti de *ratiocinio*, ab *ordine rerum* petito, cogimur fateri: Philosophia ergo eiusmodi probationes vel *modeste seponit*, vel *emendat* inuictoque robore armat, ne lubricis probandi rationibus *veritas* hostibus eius *prodatur*, alique *infirmirate assertionum*, quibus ad Deum creden-

dum olim inducti fuerunt, introspecta, ad atheorum castra transeant. Ceterum sensu suo quemlibet abundare patitur, ipsa vero tutissima incedens via et non de numero, sed de pondere argumentorum sollicita, optimis argumentis, inter quae *ratiocinium de mundi contingentia* non infimum occupat locum, euincit; *dari Deum, dari Deum unicum*, eique competere omnes *perfectiones possibles*. Insignis itaque usus est, quem ex saniori philosophia in oppugnanda Dei ignorantia, ceu praecipua impietatis origine, possumus colligere r).

## §. VI.

Hisce, pro instituti ratione, expeditis, restat, vt ad eum transeamus *usum*, qui philosophiae in *altera* improbae vitae *causa* (v. §. III.) auferenda adiudicari debet. Ratio, curatius omnia expendens, et ad semet ipsam reflectens, *corruptionem* quandam factam esse animaduertit; *impotentiam* propriis viribus ex illa emergendi agnoscit; *iustitia* autem, *sapientia* ac *bonitas creatoris* ipsi de *facta reuelatione peculiari*, defectus supplente, mediaque ad pristinam perueniendi felicitatem sufficientia ostendente, *spem* faciunt, ad  
sum-

r) Circa hunc §. leg. Clar. CANZ. de Vsu phil. LEIBN. et WOLFF. in Theol. P. I. Cap. I. Sect. 2. spec. p. 120. sqq. licet non ignorem, quae Vir quidam eruditus in Tr. contra philos. WOLFF. germanice exarato, admodum importune et parum philosophice hunc in modum effutiuerit: *Die aber viel Rühmens gemacht von dem Nutzen dieser Philosophie in der Theologie, die sind offenkundige Windmacher, welche auch bisher fast keiner der Abfertigung hat würdigen wollen.* CANZIO iungantur REU. REINBECK l. c. tom. I. medit. I. Clar. HOLLM. *Überzeugender Vortrag von Gott und der Schrift.* Cap. I. tot. WOLF BALTHAS. ADOLPH A STEINWEHR in Diss. Lips. 1734. hab. in qua argumenta quaedam recentiorum pro vnitae Dei modeste expenduntur, multique alii a B. FABRICIO in Syllabo scriptorum de V. R. C. excitati.

summum probabilitatis gradum adspirantem : philosophia ergo *reuelationis necessitatem* ostendit, euincit, demonstrat. *Signa porro certa*, ex quibus reuelationis veritas agnosci potest, ponit atque robore munit s). Cum vero nullum scriptum, pro oraculorum diuinorum summa venditatum, examen, iuxta veros reuelationis characteres institutum, sustineat, nisi vnicus iste liber, qui *Scripturae Sacrae* nomine circumfertur, in illo acquiescit, ac sine commissi paralogismi metu, hanc format conclusionem: *hic ergo liber diuinam reuelationem vere complectitur, et quantus quantus est, totus diuinus est.* Diuinam huius Codicis auctoritatem inter alia defendit, dum *fide historica* probat, *personas*, quarum mentionem scriptura iniicit, *eodem temporis articulo*, quo vixisse dicuntur, viuis interfuisse; *facta memorabilia*, quae scriptura attingit, *reuera euenisse*; *scriptaque* ab iis auctoribus, quibus adscribuntur, *certe exarata esse.* Ex his omnibus argumenta pro diuina Bibliorum auctoritate elicere nouit. Hic non subsistit, sed ex *intimiori accuratiorique scripturae consideratione* plura necit argumenta, quibus temere *ἀντιλεγοντων* elabendi rimas occludere, stropharumque, quibus nituntur, neruos incidere potest. Vti vero in adferenda Dei existentia, ita et hic argumenta, quae *probabilitatem* tantum, et quae *certitudinem* gignunt, probe a se inuicem distinguit, *doctoresque ecclesiae* ita instruit, vt praesto sint rationes, quibus *incredulitati solide satisfacere* queant. t)

## B 3

## Quam-

- s) De criteriis hisce conf. REINB. l.c. medit. 2. §. 7. p. 47. WOLFFII Metaphys. germ. §. 1010. seqq. et WOLLII praefat. *von der Nothwendigkeit einer Offenbarung und von den Vernunftmaessigen Kennzeichen derselben.* DAV. MART. tr. de religione naturali a Dn. Mullero in linguam germ. transfusa praefixa.
- t) Plura dabunt CANZ. l. c. c. 2. p. 166. sqq. HOLLM. l. c. Cap. 3. et 4. *Jaquelot dans son traité de la verité et de l'inspiration des livres du vieux et du Nouveau Testament.* P. I. a Cap. V. vsque

## XIV

Quamuis haec ita adstruantur, non tamen in ea sum sententia, vt credam, *philosophiam* hic *utramque* *conficere* *paginam*: Sarta tectaue maneat diuinarum literarum *dignitas*, *praerogatiua*, *vis* atque *efficacia*, quibus *de se* *testatur*, *fidemque*, quam aiunt, *diuinam* operatur atque adeo ea, quae philosophia incepit, egregie perficit. Mihi insuper sufficit, vsum philosophiae, in remouendis turpissimae vitae causis insignem, leui penicillo delineasse.

## §. VII.

Duo haec de Deo atque Scriptura S. capita totius *theologiae* sunt *fundamentum*; haec nisi omni soliditate omni-que accuratione praestruantur, in ceteris veritatibus demonstrandis frustra sedulus eris: prius autem sine subsidiis philosophicis commode fieri nequit, ergo *studii philosophici* non tantum *usus*, verum etiam *necessitas* inde elucet. Parum itaque illorum *iudiciis*, rectius *praeiudiciis*, tribuendum esse censeo, qui omnem philosophiam, nullo facto discrimine, contemptui exponunt, tanquam rem nullius frugis, (forte, quia non est de pane lucrando), atque ab otiosis tantum hominibus addiscendam. *Subtilia* magis, quam *utilia*, *obscura* quoque atque *abstrusa*, non a quouis capienda, in nonnullorum systematibus occurrere non inficior: *sed vitia concreti non sunt imputanda abstracto*. Adhaec propter imperfectiones, philosophiae adhaerentes, non statim tota res cum adhaerentibus fordibus abiicienda, sed opera danda est, vt noxia atque imperfecta, quantum in viribus humanis positum est, corrigantur, ipsaque *philosophia* *captui naturaeque humanae accommodatior* fiat; *perfectissima* autem notitia philosophica in *imperfectissima* hacce vita temere speratur v). Philosophia igitur, propter imperfectiones

que ad finem et P. II. tota, et, qui primo loco nominandus erat,  
B. AEGID. HVNNIVS in aureo Tr. de Maiestate S. S.

v) vid. §. IV. lit. q. prudentissimum autem consilium a Summe  
Ven.

ditiones suas, ne utiquam laude sua frustretur, sed ceu ars frugifera et fructuosa w), cum cura addiscatur, propterea quod in omnes, cuicunque facultati sint addicti, usus suos diffundit, *vbi enim desinit philosophus, ibi demum incipit, incipere saltem debet, et theologus et iureconsultus et medicus.* x)

## §. VIII.

Veteres suis iam temporibus cognouerunt, philosophiae utilitatis quid inesse, eamque *non propter semet ipsam* ac sine omni fine esse affectandam. y) Hinc postea etiam factum esse videtur, vt illi, qui insignes in ea profectus fecerant, *praemiis* atque *honoribus* adficerentur: his eo ipso calcar ulterius progrediendi addebatur, alii autem ad similes conatus inuitabantur. *Magistri* adeo titulus aliaque *honorum insignia* et personis et philosophiae magnum addebant ornamentum atque splendorem. At, cum vel vnus RVDOLPHVS GOCCLENIVS, Professor philosophiae Marpurgensis z), plures quam *sexcentos Magistros* crearet, quotidiana incipiebant vilescere. Nos vero in tristiora tempora incidimus, quod

Ven. Dn. D. V. E. LOESCHERO, Viro profundissima rerum diuinarum humanarumque notitia pollente atque omni laude maiori, de *condendo systemate philos. Leibnitiano perfectiori puriorique in frühaufgelesenen Früchten der Theol. Samml. im 3. Beytr.* ad annum 1735. p. 135. sqq. datum meretur, vt a quouis obseruetur atque curatius perpendatur.

- w) tam honorifice de tota philosophia loquitur CIC. L. 3. Offic.  
 x) Sunt verba Cel. HOLLM. in proleg. de phil. in gen. §. 20.  
 y) De huiusrei veritate testantur verba CIC. quae Lib. I. de Fin. Bon. et Mal. leguntur: *vt medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonae valetudinis causa probamus: et gubernatoris ars, quia bene nauigandi rationem habet, utilitate non arte laudatur: sic sapientia, quae ars viuendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret; nunc expetitur, quod est tanquam artifex conquirendae et comparandae voluptatis.*  
 z) De hoc philosopho euolu. IO. FRID. REIMMANNI Historia Litteraria Germanorum Noua Contin. P. 3. 2da p. 567.

## XVI

quod *dignis et indignis* aditus ad eiusmodi honores consequendos, *numerata pecunia*, frequentius, quam olim, patere videtur; imo nonnunquam euenire solet, vt iis, qui vix philosophiae nomen audiuerunt, aut praecepta philosophica primis tantum labris degustarunt, *laurea obtrudatur*, quasi ex quolibet ligno statim fieri posset Mercurius. Quo factum, vt et *Magistri nomen et philosophia ipsa*, tam utilis atque necessaria scientiarum pars, *in contemptum abierint*. Quoties igitur Viri, scientia philosophica non leuiter tincti, honores industria sua dignos, reportant, toties philosophia peritos nanciscitur defensores, qui maculam ipsi per abusum aspersam, prudenter abstergere didicerunt.

Atque inter hos etiam vos, VIRI NOBILISSIMI atque DOCTISSIMI, AMICI, quibus non habeo chariores, nunc conspicio. Benignissimus naturae Auctor vos egregiis animi dotibus exornauit, has quia bene collocastis, magnamque operam in philosophiam contulistis, honores, laboribus VESTRIS indefessis dudum paratos, praemii instar largiter accipitis: MAGISTRI atque DOCTORES philosophiae in solemni panegyri renunciimini. Gratulor itaque VOBIS, vereque gratulor. Faxit sapientissimus omnium rerum gubernator, vt dulcissimos sanioris philosophiae fructus in posterum magis magisque sentiatis: conatibus VESTRIS prouidentia sua clementissima adsit, quo tales euadatis VIRI, qui, alios rectum rationis usum edocendo turpissimaeque vitae causas eneruando, et puriori CHRISTI ciuitati, et toti orbi literato insigne adferant emolumentum, spemque VIORVM SVMMAE ET MAXIME VENERANDORVM, PARENTVM OPTIMORVM, de VOBIS conceptam, omni modo adimpleant. Valete, VESTROQUE amore ac fauore porro dignemini eum, qui, vos caste amando, omnes pio zelo vincere studet, et vsque ad extremum vitae halitum vincere studebit.

\* \* \*

Coll. diss. A. 113, misc. 49